

L. B. U. D.

EXAMEN CONSILII POETARUM;

Cur

MUSAS

finxerint

INERMES:

SPECIMINE hocce ACADEMICO

Cum

Nutu Ampl. FAC. PHIL. ad Auram; placidæ
συμφιλοσοφείων disquisitioni exposuit:

&

In Certamine publico,
suffultus

PRÆSIDIO,

Celebratissimi Professoris Poëseos

Viri Admodum Reverendi,

DR. M. TORST. RUDEEN,

Defensare conatur

JOHANNES HAAKEMAN

Aust. Finl.

Anno redempti Orbis M. DCCV. die autem, si

DEO visum, fuerit, v. Quintilis,

Loco horisque consuetis.

Exc. Jo. WAL.

L. N. O. A. C.

NOBILISSIMO & CONSULTISSIMO
DOMINO,

DN. CAROLO PAULIN,
Regii hujus Dicasterii, quod Aboæ
est, ASSESSORI gravissimo, ut Mæcenati
ac Patrono meo optimo, ita submissa
animi veneratione æternum
suspiciendo.

Plurimum Reverendo & Doctissimo,

DN. GABRIELI GÖTTZEBEN
Pastori in Lammela accuratissimo &
vigilantissimo, Avunculo meo ac Evergetæ o-
ptimè de me merito, Nutritio per quinquen-
nium & quod excurrit, proximè elapsam,
fide & obsequiis ætatem de-
merendo.

Spectabili ac multum inclyto

DN. ERICO ZANDER,
Regii hujus Parlamenti Ab. Commissario
Laudatissimo, cum Arcis, tum Territorii Supe-
rioris Satag: partis Inferioris, Notario accuratiss:
Evergetæ ac jam Nutritio meo propensiss: qui-
busvis obsequiis & officiis devotè co-
lendo.

SALUTEM & UNDIQUAQUE PROSPERITATEM
PERENNEM!

MÆCENAS MAGNE;
& DOMINI;
mei amantissimi.

Gratia quæ stimulans timidis
his adfuit ausis,
Hæc possit mentis pignora grata
meæ.

Ast est quod doleo; nil hæc jam
reddere possunt;
Vestrorum meritis, quod satis
esse queat.

Non vestras dignè possunt extolle-
re laudes:

Laudes, quas etenim; non mea
charta capit.

Nominibus decoris nec possunt
addere quidquam:

Hoc tantum redit huc; unde re-
dire nequit.

Est igitur facinus cœptum; sed gra-
tia Vestra

Hoc precor, ut cœptum crimi-
ne purget opus.

Ni mihi fata negent, meliores
profero testes:

Nec Vos tum pronos tædeat
esse mihi.

Qui Vobis semper dum fulgent sy-
dera cœlo,

A Domino cœli, fata secunda
precor.

NOMINUM VESTRORUM,

Amplissime DN. ASSESSOR,

Pl. Reverende DN. PASTOR,

Speſtatiffime DN. COMMISSARIE,

Humiliffimus & devotiffiffimus

cultor

J. H.



JESU INCEPTIS HISCE ANNUAS
FAVORABILIS!



Ita quod quis in literis exigit, placatum & mansuetum esse oportet. nihil tam alienum est à Musis, quam discordia & vitæ rixarû plenas. Qui doctum se simulat, & ingenuum atque probum se profitetur Musarum

alumnus; odium tamen, iras, inimicitias & similes gerit; indoctus est & minimè ingenuus ac probus: nam sapiens insipiens. Studium enim Musarum seu disciplinæ placatum esse decet & pacificum; cœu Musæ ipsæ, omnis bonæ disciplinæ præsides, pacatas esse Deas & placidas finxerat antiquitas. Ælianus, qui statuas, & sculptas rerum imagines, non oscitanter aut obiter esse spectandas suo docet exemplo, hoc nobis coram contemplandum fi-

stic, dum ansam & præbet & arripit conjecturandi: *Cur Musis filibus Jovis à Poëtis arma, seu nota alicujus Hieroglyphica non ascribuantur?* Nos hujus commentatorem, pro ratione temporis & curæ admodum suppelletilis acturi, tria tantum circa hoc potissimum, animi exercendi ergo, leviter depingemus.

Utinam & hæc!

DEO PROPITIO!

Legere autem Candido & Benevolo!

SECTIO I.

Quid sine Musæ declarare laborat.

S. I.

Musæ dictæ sunt filię Jovis cum Mnemosyne, novem, bonarum artium & litterarum **DEÆ**, quas non tantum omnes scientias, omnesq; disciplinas invenisse, inventisque præesse; sed etiam homines ad mitiorem vivendi cultum suâ collatâ sapientiâ, mutuâ operâ Nutricis Euphemes pertraxisse finxerunt antiqui. Musarum a. filii alumniq; dicti sunt Musarum sectatores, Poëtæ & sapientes. Hinc artes & bonarum artium studia ac disciplinæ, Musæ, utpote quæ ab iis inventæ sunt, adhuc ho-

hodiè dicuntur: omnes a. qui cognitionis rerum honestarum desiderio trahuntur, & literis ac moribus sunt instructi; Musarum filii, Alumnique.

§. II. Filiz a. Jovis cum Mnemosyne numerantur novem: *Clio*, (*ordo hic varius reperitur*) *Euterpe*, *Thalia*, *Melpomene*, *Terpsichore*, *Erato*, *Polymnia*, *Calliope* & *Urania*: quarum dux, preses & tutor habitus est *Apollo*. Hunc numerum scilicet novenarium, (ut qui primum sit primi imparis quadratum, & impariter impar, in tres divisum impares) novem noctium concubitus Jovis cum Mnemosyne, novem hinc uno partu in jugo pierio, *Phadro lib. 3. Cap. 1. teste*, enixà filias, quas Musas appellarunt, nec non ipsum Nomen Matris, Mnemosyne, novem constans literis, evincunt. Rationes alias disputatio de fœtura pieria hic *Aboz* non ita pridem habita, abundantius suppeditabit congestas.

§. III. Quid vero unaquæq; invenerit, quibusq; præsit: quia autores variant, incertum est. Si aves curiosus Confer in Natali Comite *Mytholog. lib. VII. cap. XV. epigramma Callimachi Poëtæ Græci*, cum Carminibus quæ *Virgilio* adscribuntur, de inventis uniuscujusq; Musarum, & certè non ad

amulsum omnia convenire inter sese persentifces. nobis quia omnino Res angusta domi, prolixioribus esse non licet hoc tamé certum est, varia Musarum fuisse studia, ut jocosis sic seriis Rebus, modo in omnibus pulchrè servato, intenta.

§. III. Neq; enim Musas Harmoniæ solum musicæ potestatem habuisse, & non imbuendi animum quarumvis Rerum scientia, ac mitigandi acerbos mores moderationis præceptis monituq; blandiloquo, quis arbitrabitur: nam *Musa omnino indignentur, inquit Plutarchus in moralibus, si putemus ipsarum opus esse citharam & fistulam, non morum institutionem & affectuum animi allevationem.*

§. V. Sed quod res est ut dicamus: Poëta ut plurimorum DEORUM considerationem introducit, non quod infinitos numero Deos arbitretur, sed vim & potestatem unius infiniti per omnia diffusã, existimans, illi pro actionum locorum & effectuum varietate, varia imposuit nomina; Sic hæc Dearum Musarum fictione indigitare videtur Musas nihil aliud esse quam nobiliorem illam ingenii vim, quæ bonarum artium, disciplinarum ac scientiarum culturã, ad notitiam DEI nos ducit & naturæ DEI proximè similes reddit. Pater &

Musarum Iupiter creditus, cum omnis scientia divinitus in nos influat: Mater vero Mnemosyne, quoniam *μνημοσύνης*, hoc est, memorie beneficio, omnes bonae artes ac disciplinae procreentur, augeantur, & perficiantur in nobis: Nutrix autem Eupheme, quandoquidem bonum nomen & gloria alant scientias, nec ullus sit stimulus his acutior & potentior ad impellendum homines ad res honorificas. Filii autem Poëtae & sapientes, qui eam fuerunt ingeniorum scientiaque praestantia ut supra communem sortem docti, e caelo ortum suum traxisse viderentur. Sed quod novem excogitaverint Musas, novem scientiae ab illarum sectatoribus coli suetae in causa sunt. Ordine autem vario adduxerunt, quia ut haec Musae fingebantur mente & bonitate pares, sic scientiarum & scientiarum cultorum ratio dignitatis est eadem, ordoque indifferens. diversa vero nomina, diversam cujusque indolem, diversasque indolis qualitates esse demonstrant. studia autem varia, alia seriis alia jocosis Rebus intenta, sunt ficta, cum variis delectationibus capiantur animae mortalium, & hanc vitae nostrae partem nobis nunc seriis nunc jocosis Rebus, saltationibus puta, cantilenis & choreis modos habentibus suos, intentis, *cum DEI be-*

placito, modò ad turpem & inhonestam voluptatem, disciplinæ inimicam, non fiat lapsus, transigere liceat. Verum quia non sufficit, nudæ cognitioni in rebus benè cognoscendis, convenienter dijudicandis, dilucide exponendis, operam dedisse; sed ad praxin deducatur, institutio morum, ac nobili indoli familiaris usu probum inducat habitum, necesse est; hinc Musas non solum doctrina sed & virtute animos hominum ornare commentum sunt.

SECTIO II.

Que autem causa quod Musis arma ut notæ alicujus Hieroglyphicæ, non attribuantur, inculcat.

§. I.

Hieroglyphica fuere sacræ sculpturæ seu imagines, quibus Ægyptiorum præcipua, sapientiæ Theologicæ, Physiologicæ, politicæ imprimis dogmata, aliâq; monumenta antiquissima, memoriæ humanæ impressa in operosis obeliscorum pyramidumq; molibus, apparatusissimis templorum valvis, aliisq; locis & saxis cernuntur; quæ nec literas nec verba, sed res & notiones exprimunt, vocantur ideo characteres Reales, aliàs notæ rerum ex congruo

gruo, quia semper cum re significata aliquid similitudinis habuerunt: temere namq; & citra omnem delectum, hujusmodi figuras & sculptas rerum imagines, nunquam rebus dederunt; sed rerum inter se similitudine & discordia visa ac animadversâ, tales excogitarunt notas, quæ cujusq; Rei & cujusq; creaturæ ingenium proprietates & passiones convenienter exprimeret. Neq; tamen ad exteriores characteres & figuras semper collatum est hoc artificium, sed quandoq; etiam intra verba, post inventas literas confectum est descriptione aliqua syllogistica.

§. II. Arma vero sunt instrumenta cujuslibet Rei & cujuslibet artis: ut calamus & atramentum arma scriptoria, vocat Plinius; Rastro & ligones, arma agrestium; pistoria instrumenta, arma cerealia; vires, arma leonis; Virgilius. Præprimis tamen quod hic intendimus arma bellorum, quibus utuntur milites, quæque eorum inserviunt usui; ut primum tegumenta corporis galea, ocreæ, deinde alia etiam instrumenta bellica, hastæ, clypeus, lorica, gladius, tela, etc.

§. III. Caterum quod hæc arma, instrumenta puta bellica, Musis ceu notas Hieroglyphicas non adscripserint Poëtæ, non sine causa & sano Consilio, factum putamus. Musas

fas n. voluerunt Deas placidas & tranquillas inter quas tanta vigeret amicitia & amicitiae vis, voluntatum, studiorum & sententiarum summa consensio, ut nunquam in diversa digrederentur, sed semper in suavi concordia, unâ incedentes, unanimiter persisterent; arma autem bella decent & milites, ut qui ad pugnas, praelia & tumultus parati sunt & proclives; *quis ergo tam expertus Rationis, inquit Ælianus lib. XIV. Cap. XXXVII. qui nobis eas armatas effingat?* Vel quanta tum foret convenientia Rei cum re significata? prorsus nulla quidem non foret, non tamen ut res postulat.

SECTIO III.

Quae vero Conjectura hac data occasione facienda, quodq; doctrinale hinc capiendum, paucis innuit,

§. I.

Scilicet Musarum Alumnis, dum gnaviter & Musis & bonis moribus dant operam, etiam in id incumbendum esse, ut humanitati accommodantes, sociabiles se exhibeant, & pacificam agant vitam, facilem ac
manere

mansuetam. Sic dicit *Ælianus de musis lib. XII. Cap. II. Nemo vel fitor, vel pictor*, (*Υεγφειος extat in textu*) *filiarum Jovis imagines armatas nobis exhibuit; quo significatur id vite genus, quod in Musis consumitur, placatum simul & mansuetum esse oportere. Et iterum lib. XIV. Cap. XXXVII. Illud, de Musis inermibus sermo est, argumens est, eam vitam qua Musis tribuitur, Βίον εσθηνικόν & ἀπαρ, καὶ πρᾶον, placatam & pacificam, mansuetam & facilem, dignamq; ipsis esse oportere. Eadem, puto, est ratio constitutionum Academicarum REGIS GLORIOSISSIMÆ MEMORIÆ CAROLI GUSTAVI, ubi, gladium incediu circumferre studiosis interdictum est. nihil n. hos magis dedecet, quàm feritas & vita illa prorsus barbara, quæ bestiis quàm hominibus nos similiores suo tantum affectu reddit.*

§. II. Naturâ omnes fermè immaniores sumus, intractabiles, torvi & difficiles; temperamentum malè dispositum multos, adhuc saviores reddit: Sed verum quia illud est Horatii.

Nemo adeo ferus est, qui non mitescere possit, Si modo cultura patientem commodec aurem: Et hoc Pufendorfi: temperamentum nullum est, quod non secundi, mutari & alterari pot-

est, si quis aliàs debitam adhibuerit curam & diligentiam : Oportet, naturam immanseveram culturâ studiorum, assidua & austerâ diligentia subigere & eicurare; naturæ autem vitia, temperamentiq; inclinationes rationis normâ, omni studio omniq; industria corrigere, incumbamus: donec ferociam hanc deposuerimus & mansuetius vixerimus. Quippe Musas tractantes, nunquam prætermittant aliquid inobservatum, quod ad morum emendationem, & affectus animi elevationem facit; nec perceptâ doctrinâ quæ animo inhæret, feritatem & barbariem ingeniorum tollere; morositatem, asperitatem & sævitiam animorum abolere desistant; priusquam animum probè frænatum, placidum, placatum, tractabilem, rationiq; obtemperantem reddiderint; ut jam neq; factis, neq; verbis, neq; gestu, neq; affectu molestiam cui non decet exhibeant ac se exosos reddant. nam *qui mansuetus & humanus esse vult;* inquit Jacobus Martini lib. II. Cap. XII. *Ech. studere debet, tam in sermonibus quam moribus & factis, ne sua conversatio aliis sit molesta: sed potius grata & jucunda: ita tamen ut simul rationem honestatis habeat.* Adulatio enim est & assentatio, cum quis nulla habita ratione honestatis &
dece

decori, uniùs & solius voluptatis causa, nimio-
 um sese omnibus aecommodare studet, & ad
 omnia sive bona sint, sive mala connivet:
*qua teste Cicerone pestis est in amicitiiis, vitio-
 rum adiutrix; & certe communis jam pernicies.*

§. III. Præcipua erit nostra cura, ut
 colloquia seruemus inter Musas, non clamosa,
 & turbulenta, iracunda & contumeliosa; sed
 quieta & benevola: Amant quippe Musæ dis-
 quisitiones & disputationes, placidas, sedatas
 quietas, benevolas, blandas & amicas: fugiunt
 Stentores illos, qui clamoribus omnia implent,
 & probè se defunctos existimant, ubi altum
 clamaverint, & nocentissimo inveniendæ veri-
 tati imperato silentio, quicquid velint effutie-
 rint, neglecta vicissitudine, & hoc Poëtæ:
Alternis dicetis, amant alterna Camana. Præ-
 fertim detestantur eos, qui dum aliena placita
 veniunt oppugnaturi, ex ira redduntur ferven-
 tiores, & magno impetu furiosi in morem
 gladiatoris irruunt in auditorium, atq; imma-
 nes vultu, gestu, capite, verbis, spirantes mi-
 nas; ad convitia fugiunt; & digladiantes inter
 sese Salmonei instar Virgiliani tonare incipiunt
 & fulmina emittere, ac si pro aris & focis
 jam certaretur: Amica n. illis suadela est; neces-
 sitas omnis intolerabilis & prorsus ab illis alie-

na. Zelum pro veritate probant, sed expostulant pietatem moderatricem, ut animus neque præjudiciis, neque affectibus sive odii sive amoris sit occupatus hic enim alteri, licet veritate convincatur, absq; pertinacia cedere nescit. Neque irâ & rixandi ac calumniandi ferveat studio; ira enim menti tenebras obducit; & iracundæ altercationis pedissequæ sunt, similitates, pervicacia, inimicitia & veritatis contemptus; calumniam autem parit invidia, & virulentæ linguæ venenata est tela: Sed liberè & candidè non ad hujus vel illius opinionem, vel quicquid in buccam venit, verum ut res & recta ratio postulat, instituat sermones. Si autem rationes utrinq; nos trahant, cum genios habeamus etiam in diversis sententiis eisdem; & ut

Diversum sentire duos de rebus iisdem

Incolunt licuit semper amicitia

Sic adhuc veritatem diversis itineribus salva & illæsa amicitia sectemur; ut cum Clariss. Adriano Heereboord ex Selectarum Disput. Philosoph. Epistola Narratoria, aliquando dicere queamus: *Testor manes tuos defuncte Collega, si quid unquam extiterit rixe aut contencionis me inter & te ob disputandi libertatem. viximus animo conjunctissimi, cæsi opinionibus*

*in Philosophia sapissime disjuncti. Passus sum
frui te tuo iudicio, tu vicissim me meo. nun-
quam tibi à me, nunquam mihi à te lis mota,
super disputatis utrinq; materiis. Vixit quom-
diu vixisti, & viguit inter nos pax & concordia.*

§. IV. Quod vero Minerva, quæ Dea
est sapientiæ & Musarum ex patre soror, Pal-
las alias dicta, armata è cerebro Jovis nata,
vultu scilicet virili & truculento, Galeam in
capite gerens, armis insignibus, oculis torvis
& glaucis, cum hasta prælonga & clypeo cry-
stallino, fingatur; hodieq; jam singulare sit
insigne studiosorum gladius, quo interdum
cincti exspatiari solent: Id indicio esse dici-
mus, placatum etiam ac mansuetum sapientiæ
sectatorem, quando res postulat cum pietate
irasci & pœnas sumere: imo necessitate exi-
gente arma arripere, seq; contra vim & inju-
riam defendere posse. Qui enim non possunt
aut præ timore non audent irasci; etiamsi ju-
stas irascendi causas habeant, ad magistratum
gerendum non sunt idonei: ait Augustinus,
Musarum autem est expertus, qui verbis, affectu
vel opere molestiam cui non decet exhibet ac
se invisum reddit & degener est Musarum filius,
qui vestigiis parentum non insistit: & ita man-
suetudini ac humanitati se non accommodat, ceu
ipsas accommodasse certum est. Tantum.

SOLIDEO GLORIA.

Ad

Politissimum & Humanissimum Virum
Jubenem

DN. JOHANNEM Haartman/

Amicum meum à puero ex amissim
integerrimum, cum brevi sed
nervosa

Dissertatione Philosophica

Causas & Rationes

MUSARUM INERMIIUM

in vulgus daret.

Qui brevis esse potest, brevibusq; involvere
multa:

Hunc laudem ingenui commeruisse puto:

*Litera, quod brevis es: brevibus te plura re-
ferre,*

*Quod specimen profers, arte potente do-
cent.*

Sed laudes prohibet mea languida dicere

MUSA:

Ut meruit laudes, hæc tua MUSA dabit.

Quia serò, quid ageres, innotuit mi-

Rigæ die 5 Junii hi, hæc, ne nihil darem, nisi
1705. gratulabundus animo

festino.

CHRIST. BORGERUS.